



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XLIX. Epistola Bambergensium Canoniorum ad Magistrum quendam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

urum; nisi tantundem, aut amplius à nobis recipiat. Alius quidam iactat, se oblationem nostram N. in possessionem coëmisse. Talibus utique & aliis necessitudinibus circumuenti, non modicam stipendij & oblationis nostræ patimur penuriam.

Quocirca si vlla fraternitatis nostræ vobiscum viuit memoria, si precum nostrarum deuotio, vel minimo vobis constet momento, causam nostram in libra æquitatis & gratiæ appendite: hoc videlicet vobiscû accuratius pertractans; quantum vestræ deroget æstimationi, eos de vobis causari, quos maximè oportet per vos subleuari. Quod, ne quando futurum sit, dispensatio diuina cuncta moderans auertat: quæ vos etiam sic moderari dignetur; quatinus ipsi placens, & hominibus memoriam vestri in benedictionem perpetim consolidetis.

## XLIX.

*Epistola Bambergensium Canonicorum  
ad Magistrum quendam.*

**S**ummæ venerationis magistro R. solertia virtutû ad vnguem limato F. Præpositus, A. Decanus cum toto Babebergensium fratrum Collegio solidissimum fraternæ dilectionis vinculum.

Industria tuæ fama, qua & moribus & scientia eminere prædicaris, vtrò citroq; illecti ardentibus votis faciem tuam videre desideramus. Sed si contingat sic videre, vt reliquam ætatem nobiscum velles transigere, profectò plenum nobis apportares gaudium, & quodammodo de magnis curarum æstibus absolutos, in optatæ stationis portu locares. Enim verò longo iam tempore scholasticum quærimus: sed, qualem vellemus, non reperimus. nam non æquis ducti auspiciis, vel ipse nobis, vel nos illi displicemus. Proinde, si fieri potest, te virum spectatum, & multorum testificatione nobis approbatum, scholasticæ subrogare decreuimus disciplinæ, fiduciam habentes, per constantem eruditionis tuæ modestiã,

& nos, & locum nostrum abundè decoratum iri. Si ergò animus tuus quacunq; ratione votis nostris concordet, petim⁹, vt quantocius VVirzeburg accedas, vt, communibus amicis mediantibus, conuentio tibi, nobisq; profutura immutabiliter concilietur.

L.

*Epistola videtur esse ad Rupertum Episcopum Bambergensem.*

**R** dilectissimo confratri & coepiscopo C. suis in dilectione quidquid iocundius in oratione, & seruitio quidquid deuotius. Sinistra fama hoc anno à partibus illis veniens, multum me exacerbauit, referens vestros à fide & dilectione, sub qua vos in Saxonia dimiserant, defecisse, & contra dignitatem vestram conspirasse. Vnde mihi duplex nata est tristitia: Tum, quia debita charitate vestro honori non parum timebam: Tum, quia cõmuni omnium miseræ condolebam, quia, omne nefas irrupit in hoc æuum: & à traditione Domini vix aliquem reuocat respectus fidei, vel sacramenti. Sed alius rumor dolorem meum immutauit in gaudium, quia, audiui, quidquid turbationis fuerat, sedatum esse, & omnia ad honorem vestrum celsisse.

Nouit autem Dominus; quod, si vobis ita vicinus essem, vti VVirzeburgensis Episcopus, vel in illa, vel in alia causa vestra, nullus vobis affuisset paratius, nemo fidelius, vel deuotius opem tulisset, quàm ego. Quia verò nimis remotus sum, quod solus absens valeo, bonæ meæ voluntatis munus offero. Sed, siue in Curia, siue alibi, vbi præsens esse potero, pro honore vestro, modis omnibus, ac si frater carnalis essem, laborabo.

Gratias autem vberrimas refero bonitati vestræ, quia per vos hiemalem domum talem habeo, vt in terra nostra, talem se habere, nullus dicat omninò. Si fieri posset, vt vestris humeris mihi eam attulissetis, non maiores inde vobis gratias haberem, quia, modò, nec ad reddendum quibuscunq; modis vobis placuerit, paratior essem, quàm modò. Pro communi Cle-